A I

COMMENTARIOLVM
EPISTOLARE.

4 11
1 - 9

[illegible] PACIAVDI
CL. REG. PRESBYTERI
HISTORICI ORDINIS HIEROSOLYMITANI

DE ATHLETARVM ΚΥΒΙΣΤΗΣΕΙ IN PALAESTRA GRAECORVM *COMMENTARIOLVM.*





ROMAE CIↃIↃCCLVI.

EXCVDEBANT FRATRES PALEARINI
PVBLICA AVCTORITATE.



NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE VIRO
COMITI DE CAYLVS
REGIAE PARISIENSIS ACADEMIAE
POLITIORVM LITTERARVM SOCIO.

PAVLLVS M. PACIAVDIVS C. R.
Ἐυπαίνων ἐ ἀρημερίαν.

§. I.

Scriptionis occasio ex praeclaro Κυβιστῆρος *sigillo enata. Pauca hactenus de hoc palaestricae exercitationis genere a scriptoribus collecta. Dicendorum ordo, & praestantia.*



VLTAE hactenus caussae fuerant, V. Cl., cur ego vel diuturnis laboribus quum essem defunctus, vel inclinata jam affectus aegrotatione, in Tusculanum libentissime concederem, quod felici coeli illius temperie, regionis situ, aërisque salubritate plane alacrior, viribusque maxime redintegratis, urbem repetere consueverim. At si quando umquam Tullii illud ad Atticum: *nos Tusculano ita delectamur, ut nobismetipsis tum denique, quum illò venimus, placeamus* [1], usurpare licuit, sane tum accidit, quum ad tui benevolen-

A tiam,

1 Ad Attic. lib. 1. v1.


tiam, amicitiamque in Tuſculano mihi aditus eſt patefactus. Deus certe aliquis bonarum artium ſtator, dum illic nuper verſarer, praeclariſſima tua antiquitatum collectanea in manus contradidit, effecitque, ut dum in illis perlegendis totus eſſem, CHRISTIANISSIMI tui REGIS Antiquarius, vir cum doctus, tum humanus, & omni officii genere diligendus, JOH. JACOBVS BARTHELEMY, qui per eos dies apud ampliſſimum Comitem STAINVILLEVM ruſticabatur, plura de mea in te obſervantia, ac voluntate per epiſtolas ſignificaret, certioremque faceret, neminem prae me eſſe, qui ſingulare, ac laborioſum illud tuum veterum monumentorum ſtudium, quod ſumma cum generis nobilitate conſociaſti, ſuſpiciat magis, uberiorique commendatione proſequatur. Quibus tu litteris quam liberaliſſime reſcribens, non injucundum id tibi accidiſſe affirmabas, ſpondebaſque, quicquid ſive ad mutuam inter nos animorum conjunctionem firmandam, ſive ad meam in iiſdem ſtudiis excolendis induſtriam, diligentiam, ac curam juvandam pertineret, te animo lubenti collaturum. Coepi ex eo tempore uti opera eruditiſſimi BARTHELEMY, quo proxeneta praeſtantiores vetuſtatis reliquias, quas vel a ſcrutariis emeram, vel apud doctos viros dudum videram, cum te harum lautitiarum cupidiſſimo expeditius communicarem. Quia vero novitate magis, quam magnitudine rerum, ut a Cicerone dictum accepimus, perſaepe excitari, & rapi ſolemus, animadverti, inter ea, quae meo nomine fuerant tibi indicata, nuntiataque, nihil fuiſſe, quod te plus oblectarit, quam exquiſiti operis ſigillum ex aere ſolido MVSEI CONTVCCIANI, exhibens imaginem, quantum ego exiſtimo, Graeci-Petauriſtae,

ristae, sive ATHLETAE Κυβιστῆρος, qui, demisso in terram capite, plantas coelo obvertit, totoque incumbit cernuus armo. Nam honestissima, & digna sapiente voluptate incensus continuo rogasti, praeclarum hoc, & prorsus novum cimelium tibi planius, accuratiusque describi: gemmae apographum misisti, cui Cernuator insculptus visitur, ut cum aereo simulacro a me conferretur: & quo illustrior magis, magisque in aperto res esset, sciscitatus es, ut quae de illo sentirem, libere prolixeque exponerem. Sed quoniam difficile omnino sit id genus monumenta apta oratione comprehendere, tantaque verborum proprietate definire, ut pene oculis subjiciantur; quoniamque vellem, sic statutum habeas, carissimum te mihi esse propter multas suavitates ingenii, officii, humanitatisque tuae, perficiam profecto, ut exactam hujus Saltatoris ἐπιπρεπῶς effigiem, graphidemque cum comite commentariolo de Athletarum κυβιστήσει in Palaestra Graecorum accipias. Quae enim ad cognoscendam pertinent antiquitatem, quae ad veterum scriptorum ambiguae, obscuriorisque lectionis loca explicanda facere possunt, quae demum in Graeca historia sunt observata indiligentius, haec ego veteri quodam meo instituto, ac more studiosius persequi soleo. Atqui haec mihi videntur paullo uberius, & fusius disputanda, quod qui de Orchestra scripsere, cubisticam saltationem aut leviter perstrinxerint, aut de ea indistincte egerint, ac perturbate. Mercurialis autem, qui universam rem gymnasticam complecti instituerat, lib. II cap. IV. affirmavit, Cernuatorum exercitationes silentio se praeterire, quandoquidem pauca admodum in antiquis scriptoribus deprehenderentur. Non ego vereor, ut ad eas enar-

enarrandas testium, ac monumentorum copia, ab ultima antiquitate petita mihi deficiat, sed delectum video esse adhibendum, quo veterrima a posterioribus, Graeca a Latinis secernantur, ut ex ordinata quadam argumentorum dispositione, progressioneque quasi evidens rei historia enascatur. Quamquam autem non illa mihi contigerit acerrima ingenii vis, non illa penitioris historiae cognitio, quam nuper tu, VIR NOBILISSIME, in Herculis, & Aeneae clypeis ex Hesiodi, Virgiliique doctrina excogitandis, digerendis, effingendisque mirifice demonstrasti; contendam, ut potero, tibi petenti morigerari, & pulcherrimum cernuli Palaestritae signum dicendo exornare. Interim si quid lucis hac nostra commentatiuncula antiquitatum studio affundi, earumque curiosis nostros otii Tusculani fructus nonnihil opitulari posse putabis, rem omnem ex animi sententia cessisse arbitrabor, Tullii enim effatum semper verissimum mihi visum est: *fructus ingenii, virtutis, omnisque praestantiae tum maxime percipitur, quum in proximum quemque confertur*[1].

§. II.

1 In Laelio.



§. II.

Saltationis apud Graecos ſtudium. Illius origo a Rhea, Theſeoque repetita. Nec ſapientibus indignum. Aliquot in eam rem exempla. Cicero explicatus. Varia Graecae ſaltationis genera ad duo revocabat Plato. Saltatio παλαιστρικὴ a Socrate velut militiae praeludium habita.

Jam illud non eris admonendus, V.Cl., ſaltationis ſtudium ab heroicis uſque temporibus ſic diligentiſſime fuiſſe excultum, lateque per univerſam Graeciam propagatum, ut non ab indoctis modo, ſed a ſapientibus etiam id artificium laudaretur. Gentem quidem nullam video illic fuiſſe, neque tam humanam, atque doctam, neque tam immanem, & barbaram, quae non ad eam artem ſibi enitendum putarit. Vbique haec ſtudia calebant, ubique ſaltationis fervebant certamina, ubique ingenuis, & nobiliſſimis adoleſcentibus ludus ſaltatorius pandebatur, quod liberalis illa exercitatio e coelo, ſuperiſque originem duxiſſe putaretur, eaque jam invaluiſſet opinio, Rheam primum in natali Jovis Corybantes, Cureteſque ad certos modos ſaltare docuiſſe [1]. Certe ingenioſam, & rythmicam ſaltationem una cum ipſa humanitate enatam cum multa declarant, tum maxime quod Plutarchus de Theſeo refert, qui poſtquam diſperſos, & pagatim viventes Athenienſes in unam urbem contraxit, ſaltationis genus inſtituit, quo labyrinthi Cretenſis errores, & multiplices flexus, orbeſque exprimerentur [2]. Ob eam cauſſam ὄρχησιν ἔνδοξον καὶ σοφὸν peri-

1 Lucianus ΠΕΡΙ ΟΡΧΗΣΕΩΣ. 2 In vita illius.

tiam ſaltandi rem glorioſam, dignamque ſapiente, teſte Athenaeo [1], optimus quiſque Graecorum exiſtimavit: ex qua ſententia profluxit, ut fortiſſimi duces, nobiliſſimique philoſophi, qui egregiam nominis famam erant adepti, neque ab imperatoria majeſtate alienum, neque magiſtro virtutis indignum habuerint, hanc artem ediſcere, palamque excercere. Quod & Romanis quondam perſuaſiſſimum fuiſſe, non eſt ambigendum. Quamvis enim Cicero dixerit: *nemo forte ſaltat ſobrius, niſi inſanit* [2], id quidem ad mollem, laſcivam, inconditam, plebejam, effrenem, intemperantemque ſaltationem (quam inter Graecos etiam, qui moribus eſſent probi, repudiabant) referendum eſt; nam Appium Claudium virum triumphalem, Gabinium, M. Caecilium, & Licinium Craſſum concinne, honeſteque ſaltare, laudi duxiſſe, aperte tradit Macrobius [3]. Ergo quum tanta eſſet hujus artis exiſtimatio, plura ſaltationum genera a Graecis adiventa ſunt, ut ἐμμέλεια, cordax, ſicinnis, thelefia, bellicrepa, gymnopedice, καρπαῖα &c., quorum meminere Lucianus [4], Athenaeus [5], Pollux [6], Xenophon [7], Meurſius [8], Faber [9], Ludovicus Caelius [10], Bulengerus [11], Averanius [12], atque Buretus [13]. Praeclarius tamen mihi feciſſe videtur Plato, qui in II. de legibus omnes differentias ad duas commodum revocavit, & alteram ſaltationem mere ὀρχηστρικὴν, alteram παλαιστρικὴν aptiſſime nuncupavit. Illa placida, pacata,

1 Dipnoſoph. lib. I.
2 Pro Muraena.
3 Saturnal. lib. II. cap. X.
4 Vbi ſup.
5 Dipn. lib. XIV.
6 Lib. IV.
7 In Cyropaedia.
8 Orcheſtra.
9 In Agoniſtico.
10 Antiqu. lect. lib. V. c. III. &c.
11 De Theatro lib. I.
12 Differt. in Antholog. XVII. &c.
13 Memoires de l'Academie Royale tom. I.

cata, musicae concinnitatis plenissima fuerat, ideoque in nuptiis, conviviis, sacrisque adhibita; contra vero haec vehemens, agitata, laboriosa, eamque ob rem in circo, theatroque a fortissimis Agonistis usitata. Illa, quae sola *μαρμαρυγῇ ποδῶν micatione pedum*, vel ut Budeus adnotavit [1], *χειρονομίᾳ*, *gesticulationis lege* perficiebatur, ad liberalem animi voluptatem pertinebat; haec vero, quae violentas divaricationes, circumductiones, & resupinationes postulabat, ad vires periclitandas, velut tentamen laborum, qui essent in praelio subeundi, habebatur: ad militarem quippe virtutem eam artem prodesse non mediocriter, apud Athenaeum affirmat Socrates [2]; & Vegetius Graecorum sequens judicium, juvenes, qui militiae operam navant, ad saltum praecipue exercendos, admonuit [3]. Hinc Lycophron in Cassandra Martem saltatorem appellavit, quod industrie vibrati, & concitatissimi esse debeant bellatorum motus.

1 In Pandectas L. Athletas de His &c.

2 L. xiv. confer Salmasium ad Solinum.

3 De R.M. l. I. c. IX.



§. III.

Cubisteſis Homericis temporibus uſitata. Spartani coram Thelemaco illa ſe oblectant. Cur Patroclus Cebrionem cernuatori comparet. Ingenuos Athenienſes adoleſcentes huic ſaltationi dediſſe operam. Hippoclides Sycione illam propalam exercet. Inſignis Herodoti locus. Cretenſibus in caput deſaltare patrium erat.

Atque in hoc palaeſtricarum ſaltationum genere nulla κυβιστικῇ eſſe antiquiorem, facile conſtat ex his quae Homerus fons ingeniorum, & primus doctrinarum, & antiquitatum parens memoriae mandavit. Is quidem, quemadmodum ab Athenaeo obſervatum eſt, duo tantum genera ſaltationum poſuiſſe videtur, eorum, qui harpaſtum alternatim jacientes, repellenteſque ſaltabant (quod primum Phaeacias puellas Nauſicae docuit) & eorum, qui in caput provolvebantur, & corpore aut in ſpiram contracto, aut valide erecto pedes huc illuc diducebant: *ὀρχήσεις δ' εἰσὶ παρ' Ὁμήρῳ αἱ μέν τινες τῶν* ΚΥΒΙΣΤΗΡΩΝ, *αἱ δὲ διὰ τὴς σφαίρας*. *Saltationes apud Homerum ſunt aliae* CERNVATORVM, *aliae cum pila* [1]. Re quidem vera quum Thelemacus inclytus Neſtoris filius Spartam appuliſſet, hoſpitioque a Menelao fuiſſet exceptus, indigenas, convenaſque illic vidit variis ſe ſe oblectantes ludis; quos inter primae partes Cernuatoribus tribuebantur.

... δοιὼ

1 Lib. 3.

.... *δοιὼ δ' ΚΥΒΙΣΤΗΡΕ κατ' αὐτοὺς*
Μολπῆς ἐξάρχοντες ἐδίνευον κατὰ μέσσον.

.......*duoque* CERNVATORES *inter eos*
Cantum auſpicantes ſaltabant in medio [1].

Alter eſt Homeri locus, qui huc ſpectare poteſt. Patroclus, Iliados π. prope finem, poſtquam occurentem ſibi Cebrionem media in fronte lapide appetiit, ictuque lethali exanimatum ex equo miſere in armos procumbentem vidit, illi convicians dexterum, egregiumque Cernuatorem appellat.

Ὢ πόποι, ἦ μάλ' ἐλαφρὸς ἀνὴρ ὃς ῥεῖα κυβιστᾷ
Proh Dii! valde agilis vir, qui tam facile cernuat:

Quae quidem illuſio non tam ab urinatoribus, quam a Palaeſtritis videtur repetita. Neque putandum, in Graecia ea ſaltatione fuiſſe delectatos homines infimo genere editos, aut qui lucro inhiabant, circumforaneos ludiones. Athenis, quae ut feſtorum apparatu, ſic certaminum varietate ceteras urbes longiſſime ſuperarunt, adoleſcentes liberalibus, optimiſque diſciplinis inſtituti, & a majoribus commendati, ut Herodoto credi convenit, in ea diligentiſſime exercebantur. Porro quum Cliſthenes Sycionis tyrannus filiam nomine Agariſtam deſtinaret nuptum dare ei, quem praeſtantiſſimum Graecorum comperiſſet, Sycionem ob eam rem convenerant ex omni Graecia nobiliſſimi adoleſcentes; quumque illuxiſſet delectus ad nuptias dies, ſacrificiis perfectis, exactoque convivio, ad gymnaſticas exercitationes ventum eſt, ut qui in illis excelluiſſet, pulcherrimam,

1 Odiſs. δ.

rimam, regiamque virginem sibi adiungeret. Adfuit inter lectissimos procos Hippoclides Atheniensis, Tisandri filius, ob suam, familiaeque claritatem conspicuus, qui postquam ἐμμέλειαν saltasset, alterum roboris, agilitatis, eruditionisque suae specimen dare adorsus est. Μετὰ δὲ ἐπισχὼν ὁ Ἱπποκλείδης χρόνον, ἐκέλευσέ τινα τράπεζαν ἐσενεῖκαι· ἐσελθούσης δὲ τῆς τραπέζης, πρῶτα μὲν ἐν αὐτῇ ὠρχήσατο Λακωνικὰ σχημάτια, μετὰ δὲ ἄλλα Αττικά. τὸ τρίτον δὲ τὴν κεφαλὴν ἐρείσας ἐπὶ τὴν τράπεζαν τοῖσι σκέλεσι ἐχειρονόμησε. *Post haec aliquantulum temporis quiescens Hippoclides jussit afferri aliquam mensam: qua illata primum super eam Laconicos saltavit modos, mox alios Atticos, tertio super mensam capite statuto, cruribus velut brachiis modulabatur* [1]. Quamvis autem Clisthenes levitatem in Hippoclide exinde suspicatus illum a nuptiis cum Agarista excluserit, tradita ab Herodoto historia luce clarius evincit, nobiles Athenienses a Cubistemate minime abhorruisse. Vsitatiorem tamen Cretensibus illam fuisse perhibet Athenaeus: τοῖς μὲν οὖν Κρησὶν ἥ τε ὄρχησις ἐπιχώριος καὶ τὸ κυβιστᾶν; *Cretensibus quidem familiare, & patrium est, tum saltare, tum in caput se dejicere* [2]. Quod si tantopere in hanc exercitationem incumbebant Cretensium praestantissimi, ut optimi saltatores evaserint, οὐχὶ οἱ ἰδιῶται μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ βασιλικώτεροι καὶ πρωτεύειν ἀξιοῦντες, *non tantum homines privati, & obscuro loco nati, sed & nobiles, & primores* [3], quemadmodum Lucianus scribit, illud mihi non erit dubium, hoscemet illustres saltatores Cubistesi, quae suis conterraneis erat persamiliaris, & propria, crebro fuisse delectatos.

§. IV.

1 In Erato. 2 Lib. 14. 3 Vbi sup.

§. IV.

Abaci, calathi, gladii, rotae a Graecis ſaltatoribus Cubiſteſi additi. Piſandrus horum certaminum peritus à Xenophonte laudatus. Duo Platonis de his ludis teſtimonia conciliantur. Saltatio per enſes ad agyrtas, & thaumatopaeos in Graecia traducta. Quid ἐπὶ τροχῦ δινεῖσθαι hoc noſtro Petauriſtae ſimulacro oſtenditur. Ariſtophanis fragmentum illuſtratur.

Sed quoniam nihil omni ex parte natura repente expolivit, tamquam ceteris non ſit habitura quod largiatur, ſed levibus contenta principiis artes omnes hominum induſtriae, ornandas, perficiendaſque permiſit, hinc accidit (quod jam animadverterat Scaliger de Tragoedia cap. XIV.) ut Cubiſteſi multae ſint factae acceſſiones, atque ab audaciſſimis Graecis ſaltatoribus ad rei difficultatem augendam calathi, abaci, rotae, gladii adderentur. Atque ut illinc, unde videtur aptiſſimum, ſumamus exordium, ſummorum virorum judicio Athenis celebrabatur Piſandrus, qui virili, praeſentique animo ſic fuerat, ut haec non perageret modo, ſed alios condocefaceret. Hanc Graeci hominis fidentiam, agilitatemque reſpiciens Philippus ille apud Xenophontem in dialogo, qui inſcribitur ΣΥΜΠΟΣΙΟΝ, ita loquens inducitur: καὶ μὴν ἔγωγε ἡδέως ἂν θεώμην Πείσανδρον τὸν δημηγόρον μανθάνοντα κυβιστᾷν εἰς τὰς μαχαίρας. *& ſane ego libenter ſpectarem Piſandrum concionantem, docentem in caput deſaltare per gladios*. At non ideo ars illa ludicra, vulgaris, indecora jam tum evaſerat. Nam licet

licet Ariſtophanes apud Platonem *in Convivio* impurum, effrenemque amorem deſcribens illum Cernuatori comparet his verbis: καὶ ὁπότε ταχὺ ὁρμήσειεν, ὥσπερ οἱ κυβιστῶντες καὶ εἰς ὀρθὸν τὰ σκέλη περιφερόμενοι κυβιστῶσι κύκλῳ; *& quoties celerius ire contenderet, inſtar eorum movebatur, qui corpore in ſpiram contracto, in caput ſe provolvunt, & crura ſurſum circumferunt in orbem*. Verumtamen Euthydemus in alio Platonis dialogo, cui ipſe nomen fecit, ſciſcitans a Critone, num Dionyſiodorus, qui multas artes ſe probe tenere gloriabatur, hoc etiam percalleret, ἐς μαχαίρας γε κυβιστᾶν, καὶ ἐπὶ τροχοῦ δινεῖσθαι *in gladios devoluto capite ſaltare, & in rota circumagi*[1]? Crito reſpondit, ſe una cum Dionyſiodoro artem hanc a pueritia didiciſſe. Quibus rebus intelligitur, ingenuos Graecos adoleſcentes Platonis aevo in hoc ſaltationis genere fuiſſe eruditos. Ceterum non illud negaverim, Xenophontis, Platoniſque temporibus exſtitiſſe etiam circulatores, & agyrtas, qui in conviviis, & in foro hos ludos exhiberent, quique longo poſt intervallo hanc artem ſibi plane arrogarunt. Itaque Cubiſteſis a liberali quadam, honeſtaque diſciplina ad ludricum ſpectaculum, & ſcenicam pompam, atque a praeclariſſimis Athletis ad circumforaneos thaumatopoeos, & mirabilium patratores aliquando traducta eſt; quod indicat Clemens Alexandrinus in Stromatis, τοὺς θαυματοποιοὺς ἀνδρείους εἰς μαχαίρας κυβιστῶντας, *miraculorum effectores capite prono, ac praecipiti ſuper enſes tranſilientes*[2].

Jam vero quid apud Graios eſſet in trocho verſari, atque in rota circumagi, quod Plato memorat, fortaſſe ex hoc noſtro Petauriſtae ſimulacro licebit conjectare

1 In Euthydemo. 2 111.

jectare. A quo certe ludo differebat vel corpus per rotam trajicere, vel corpore resupinato, capite propendulo, convolutisque brachiis rotae instar inflecti. Mirabilis hujus artificii meminere Xenophon in convivio, Joh. Chrysostomus in oratione de jure jurando, Theodoritus lib. IV. aliique. Sed aliud profecto est, de quo in praesentia quaerimus. Porro quum orbicularem illum plinthum, cui Cernuator insistit, mihi attente ante oculos constituo, machinam axi infixam, & ad modum trochi versatilem fuisse existimo, omnemque saltatoris dexteritatem in eo sitam, ut postquam capite, manibusque in superficiem totus incumbebat, machinam in orbem urgeret, atque propelleret; ipse vero impetu communicato una cum trocho circulatim raperetur, convolvereturque. Atque ut hasce conjecturas a vero non prorsus abludere credam, facit Petauristae gestus, membrorumque conformatio. Dum enim manibus valide eniti, conarique demonstrat, cruribus, pedibusque collectis sic se in gyrum flectere videtur, ut exinde totum corpus in volubili rota circumageretur. Supremum tamen vitae periculum Cernuatori impendere, si inconsulto rotam agitasset, nullaque retenta regula circumduxisset, si quid licet divinare, innuit Aristophanes in fragmento Daedali:

Ὁ μηχανοποιὸς, ὁπότε βούλει τὸν τροχὸν
Ἐὰν ἀνέκας, λέγε, χαῖρε φέγγος ἡλίου.

In duobus hisce Comici carminibus quamvis nihil immutarint Canterus, & Coddaeus, nonnulla mihi videntur metri gratia exarata, contra atque purioris Grammaticae ratio postulabat, ideoque fortasse restituen-

tuendum : *ὦ μηχανοποιέ* pro *ὁ μηχανοποιὸς* , *ὅπυ ἂν* pro *ὁπότε* , & *ἀνήκης* pro *ἀνέκας* ; tum facilius , veriusque in latinum sic convertere licebit.

O Petaurista , quocumque volueris , rotam
Si urgeas , dic , vale lumen solis .

Quod ego vero *τὸν μηχανοποιὸν* non sim interpretatus *machinarium* , ut Scaliger , Grotius , Kustherus in alia Aristophanis comoedia eam vocem reddiderunt, sed potius *Petauristam* dicendum censuerim , certe tu , DOCTISSIME VIR , aequi bonique consules . Licet enim Lucilius , cujus verba damus §. VII. *Mechanicos* nuncuparit saltatores Cubistas , & Petauristarios ; ea voce uti libuit, quae dum omnem amoveret ambiguitatem , mutilae orationis contextui explicando esset accommodatior .

§. V.

Graecae saltariculae per mucrones in caput transiliebant . Xenophontis , & Athenaei loca . Artemidorus refutatus . Id genus saltationis a dipnoteriis , & foris ad theatra translatum . In ingressu fabularum a Graecis edebatur .

Vt autem ad illam saltationem per enses , quae tantam habebat admirationem , fando revertar , sic Graeci in ea studiose versabantur , ut etiam puellas delicatulas strenue , propalamque illi vacasse legamus . Qua quidem in re producendus primo Xenophon in *Convivio*, ubi ait , *μετὰ δὲ τοῦτο κύκλος εἰσηνέχθη περίμεστος ξιφῶν ὀρθῶν · εἰς μὲν οὖν ταῦτα ἡ ὀρχηστὶς ἐκυβίστα , καὶ ἐξεκυβίστα ὑπὲρ αὐτῶν . Postea rota illata est plena gladiis , supra*

quos

quos ſaltatrix praecipiti capite tranſiliebat [1]. Xenophontem inſequitur, eique adſtipulatur Athenaeus, a quo laudantur ſaltatrices, quae in dipnoterio, dum convivae opipare commeſſarentur, vereque congraecarent, ejuſmodi edebant ſpectacula: θαυματουργοὶ γυναῖκες εἰς ξίφη κυβιστῶσαι, *mulieres praeſtigiatrices in caput ſe provolventes per erectos pugionum mucrones* [2]. Nihilominus illud Artemidoro non ego facile aſſentiar: ἐκκυβιστᾶν εἰς τὰς μαχαίρας τοῖς μὲν ἔθος ἔχουσιν, οὐ πονηρόν, *in caput deſaltare per enſes his, quibus eſt mos, non laborioſum* [3]; nam etſi uſu, atque exercitatione difficultas, laborque imminueretur, gravi tamen contentione, ac periculo ea ſaltatio vacare minime poterat. Neque vero hoc certamen coenationibus tantum, & foris concludebatur: fuit aliquando in Graecia ludorum ſcenicorum pars praeambula, & fabularum jucunda quaedam ingreſſio. Quapropter Pollux ſaltationes recenſens, quae uſuveniebant, quum tragoediae agerentur, ait: καὶ μὲν τραγικῆς ὀρχήσεως τὰ σχήματα σιμὴ, καλαθίσκος, χεὶρ καταπρανὴς, κυβίστησις. *Sunt autem tragicae ſaltationis figurae Sima, Calathiſcus, Manus obliqua, Cubiſteſis* [4]. Nec dubito Aeſchylum, qui quum tragoedias populo ſpectandas daret, referente Suida [5], mirabilium patratores in ſcenam prodire jubebat, hac etiam perdifficili ſaltatione, tamquam grato, jucundoque exodio, in theatro ſedentes exhilaraſſe.

1 In principio. De Germanis, quorum indoles, & prope athletica corporis firmitas ad bella, ad labores, ad dura quaevis perpetienda ſemper paratiſſima, ſcripſit Tacitus *de moribus Germ. §. XXIV. Genus ſpectaculorum unum, atque in omni coetu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum eſt, inter gladios, atque infeſtas frameas ſaltu ſe jaciunt*. Plura de hoc Taciti loco liceret fortaſſe commentari, niſi id jam ab aliis eſſet occupatum; eaque inveſtigatio orationem a propoſito nimiopere abduceret.

2 Lib. XV.

3 Lib. I. c LXXVII.

4 Lib. IV. cap. XIV.

5 In Lexic.

§. VI.

Gemma excellentis artificii Cubistam referens ex Museo Comitis DE CAYLVS *nunc primum evulgata, accurateque explicata. Num Etrusci saltatores hos ludos exhiberent. Ex Thuscis monumentis neutiquam id liquere.*

Est hujus vero disputationis proprium, atque utinam esset etiam facultatis meae, ad perspicuam certaminis, ludique hujus speciem, ac formam lectorum animis ingerendam, ut lectissimi, ac in primis copiosissimi Musei tui gemmam, de qua superius illata mentio a me est, hic contuendam exhibeam, brevique explanatione declarem: ita fiet, ut dum illam tibi, AMPLISSIME COMES, officii ego non immemor, quasi expolitiorem restituo, gratiam certe aliquam ab antiquitatum cultoribus ineam; sunt enim haec nedum aptissima hujus tractationis ornamenta, sed dicam etiam praesidia, a quibus illa plurimum augeri, juvarique possit.



Ibi itaqué robustissimum Cubistam videre est, qui suam industriam, peritiam, dexteritatem virtutem plurifariam

riam probare connititur. Audaci siquidem subsultu e solo exiliens, sumptoque impetu se se in auras ejaculatur, ibi curvato cernua dorso jam oram gerit: inclinatis paullulum cruribus, porrectisque ad eam brachiis, sic totum componit corpus, ut in caput saltando convolvatur. Sed quid breviusculae illae cuspides, quas utraque tenet manu? Certe, quantum licet in re obscura conjicere, ut eas inter saltandum vel telluri infigeret, vel in scopum jaceret, vel ingeniose agitando majorem spectatoribus cieret admirationem; quemadmodum hac adhuc tempestate a circulatoribus fieri conspicimus. Tum in eo commendanda artificis accuratio, quod pone Cubistam mucrones tres disco immissos exsculpserit, quos ille aut saltando jam transiliit, aut resiliendo praetervolare parat, ut revera quae in hac arte fuerant difficillima, a gemmario hic solerter videantur expressa. Atque totum id quoniam Etrusci artificis opus esse V. Cl. existimas, non me repugnantem habebis; nam si longinqui temporis usu, periclitatione, studioque, quascumque res cogitatione evidentius, nitidiusque informamus; nemo profecto, perinde ac tu, veterum monumentorum differentias cognitas, exploratasque habere potest, qui innumera quovis peculio comparasti, & incredibili diligentia inter se se contulisti. Quamvis itaque nullum ex gemmae ectypo certum suppetat indicium, quo Etruscis potius, quam graecis caelaturis illam ego adnumerem, totius rei judicium tibi experientissimo concedam.

Interim non incommodum mihi oblatum hic locum censeo, ut illud potius investigemus, an Cubistesis in Etruria aliquando obtinuerit. Praestantissimos illam aluisse saltatores argumento est, quod Livius initio

initio libri VII. Tertullianus de ſpectacul. cap. 2. & Tacitus Annalium lib. XIV. prodidere. A. V. C. CCCXC. quum acerba peſtis luctum, cladem, vaſtitatem Romanis importaſſet, Conſulibus C. Sulpicio Petico, & C. Licinio Stoloni optimum factu viſum eſt, ſi inter caeleſtis irae piamina ludi inſtituerentur. Sed quoniam, indigenis bello ad eum uſque diem occupatis, peregrinum hoc erat, ludiones ex Etruria acciti fuere, qui ad tibicinis modos ſaltantes haud indecoros motus Thuſco more dabant. Praeterea Etruſcos in ſacris peragendis, in feſtis, in pompis, in conviviis, in funeribus concelebrandis, omnibuſque genialibus diebus pedibus plaudere, in numerum ludere, ſaltatorium orbem verſare conſueſſe, quem non perſuadeat clariſſimis monumentis teſtata, conſignataque antiquitas? Atque illud ſtatim patet intuenti tabulas vel Dempſteriani operis [1], vel Etruſci Muſei viri amiciſſimi, doctiſſimique A. F. Gorii [2], imo vero tuorum collectaneorum [3], quibus ſchematibus omne fere ſaltatorum genus exhibetur. Nihilominus in tanta ſignorum, anaglyptorum, ac picturarum copia nullus hactenus Petaminarius, nullus Cernuator, ſi tuam gemmam excluſero, in conſpectum prodiit; ut hujus rei monumenta potiſſimum in Graecia, cui tam frequens, tam ſollemnis, tam propria illa ſaltatio fuerat, videantur eſſe quaerenda. At Romae, ubi tantus certaminum, ac ſpectaculorum amor, nihil horum fuiſſe dicemus? Illuc itaque praeſtabit ſermonem transferre, Romanique circi, ac theatri mirabiles ſaltationes memoria repetere, ex quo emerget, an Cubiſteſis

1 Etruria Regalis Tab. XIV. XIX. XXIX.

2 Muſ. Etruſcum. Tab. CLXXXVI. ſeq.

3 Recueil d'Antiquitez Tab. XXXI.

ſteſis Graecis tantum uſitata, an etiam Romanis fuerit communis.

§. VII.

Cubiſtema una cum aliis mirabilibus ſalationibus ex Graecia in Latium migraſſe. Apud Romanos tamen viluiſſe. Petauriſtarii qui vere eſſent. Variae de Petauri ſignificatione ſententiae. Petauriſtae iidem, ac Cernuatores; petaurus vero plinthus verſatilis.

Quod Latinorum diſertiſſimus Cicero dixit, Romanos omnia aut inveniſſe per ſe ſapientius, quam Graecos, aut accepta ab illis feciſſe meliora, neſcio an de ludis agoniſticis etiam intelligi vellet, qui in Graecia omni ex parte adeo fuerant abſoluti, ut nihil ingenioſius, ſplendidius nihil, nihil denique magnificentius ſpectari poſſet. Romana ſagacitas, ſi me audis, quod illis adjiceret, profecto non habebat. Nam ſi in vrbe rerum domina viſebantur, qui more avium volarent, & in funibus currerent, ſeu ut accinit Marcus Manilius Aſtronomiκῶν lib. v.

Membraque per flammas, orbeſque emiſſa flagrantes,
Delphinumque ſuum per inane imitantia motu,
Et viduata volant pennis, & in aere ludunt:
Aut tenues auſus ſine limite figere greſſus,
Certa per extentos ponunt veſtigia funes:

ejuſmodi praeſtigiatores, & ſchoenobatae ex cultiſſimis Graecorum regionibus in Latium commigrarant,

nec

nec video, in quo Romani fuerint industriores [1]. Eadem prorsus fuit apud Romulidas cubisticae saltationis origo, quae tantum abest, ut illic melius exerceretur, ut imo plerumque nulla cum industria, nullaque cum audacia gregarii homines in Consualibus, aut moriones diobolares in arena hanc artem factitarent. Varro de vita populi Romani: *etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant*, *ibique* CERNVABANT [2]; a quo vetus ille versus in carminibus.

Ibi pastores ludos faciunt cernui consualibus.

Sed hic expeditissimus, & plane rusticus lusus. Qui vero in theatro, circove populum joculari saltatione tenebant, pegmate quodam ad cernuandum utebantur, quod graeca voce retenta, *Petaurum* Latini dixere. Non sum ego nescius, veterum scriptorum enarratores, dum hujusce vocis significationem quaeritant, in diversas, discrepantesque abiisse sententias. Aliis enim Petaurus machinatio quaedam elastica est, ingeniose compacta, cui saltator quum insideret paxilli alicuius elasterio excussus alte vibraretur; quo pertinere credunt Manilii carmina.

Adnumeres etiam illa licet cognata per artem
Corpora, quae valido saliunt excussa petauro.

Aliis bacillus est, seu gracilis pertica, per quam histrio celeriter inscenderet, & velut funerepus ultro, citroque

1 Consule Sponium: *Dissertation sur une Medaille de Caracalle representant des Danseurs de Corde*.

2 V. Scipt. de R. R.

troque decurreret, atque hanc interpretationem illis Martialis verbis existimant contineri [1]:

Quid si per graciles vias petauri
Invitum jubeas subire Ladam?

Aliis oscillum potius fuisse videtur, quum nimirum ope funis ex alto suspensi, interjectaeque tabulae, alterno motu antrorsum, retrorsumque quispiam se se jactabat, nec alio respexisse volunt Juvenalem, qui idcirco Petauristas cum schoenobatis consociavit [2].

An magis oblectant animum jactata petauro
Corpora, quique solent rectum descendere funem?

Verum alia prorsus mihi semper animo insedit de Petauro, & Petauristariis sententia, & quoniam graecum id totum est, agedum, dispiciamus, quid revera Graecis placuerit, his vocabulis nuncupari. Porro Glossae veteres Cyrilli, & Philoxeni ita reddunt: *πεταυριστὴς Cernulus*, *πεταυρισταὶ Cernui*: ex quo probe colligas, capite cernuo saltasse, devolasseque, qui Petauro ludebant. Quandoquidem vero theatrale hujusmodi pegma rota quadam tigno immissa, circumductaque constasse, ex turpi, ac propudiosa Martialis in Lydiam vellicatione apparet [3]; verisimillimum mihi videtur, Romanis Cernuatoribus idem fuisse Petauro ludere, quod Graecis Cubistis in trocho circumagi, ideoque versatilem illum plinthum, quem in praeposito huic commentationi schemate exhiberi §. IV. dixi, Petaurum etiam apte, congru-

D enter-

1 Lib. II. LXXXVI. 2 Satyr. XIV. 3 Lib. XI. XXII.

enterque appellari poſſe, plane opinor. Atque in hanc validiſſimam machinam, quae altius aliquando attollebatur [1], quoniam aſcenſus vel per prominentes circulos, vel per admotum bacillum ſaltatori patebat, gracilis utique, & anguſta ad illam erat via.

§. VIII.

Saltationis exercitium penes Romanos deſpicatum; contra vero apud Graecos. Multa exinde inter utramque nationem diſcrimina. Graecis ſaltatoribus ſtatuae decretae. Plinius, & Libanius teſtes evocati.

Quamvis itaque priſcis illis temporibus, quibus Numa Salios Romae inſtituit, hocque ſacerdotio urbis primores fungebantur [2], ſeveriſſimis Romanorum moribus ſaltatio recepta fuerit, eaque celebrandis Deorum ſacrificiis, ingenuaeque corporis exercitationi inſervierit; labente citius diſciplina, ad privatam laſciviem, procacitatemque deflexit; & quae inter atas nata, atque in palaeſtra alta fuerat, turpiſsimae voluptati, deliciiſque cynaedorum coacta eſt ancillari. Mirari proinde minime debemus, Scipionem Aemilianum ludum ſaltatorium velut probroſum taxaſſe, Domitianum, Quaeſtorium virum, qui ſaltandi ſtudio tenebatur, Senatu moviſſe, & Heliogabalum nunquam imperii majeſtatem turpius contaminaſſe viſum eſſe, quam quum in honorem Deae Syriae ſaltavit [3]. Illud enim

Roma:

1 Lucilius Latinorum antiquiſſimus apud Feſtum *Mecanichos* dixit Petauriſtarios, & Petaurum alte attolli innuit eo verſu. *Sicuti mechanici cum alto exiluere petauro.*

2 Livius lib. 1.

3 Confer Averanium ubi ſupra.

Romani alte imbiberant animis, hac arte praestantissimum quemque effeminari, virtutemque martiam prorsus emolliri. Secus de illa Graeci aestimabant, quibus memoria haud exciderat, Socratem virum sapientissimum aetate jam provectiorem, saltationem ἐν τῷ σπουδαιοτάτων μαθημάτων, *inter maxime serias disciplinas*[1] adnumerasse. Ex qua opinionum, judiciorumque varietate effectum est, ut quae Romanis videbantur a principis persona prorsus abesse, & in viriis ponenda, apud Graecos, quemdmodum in Epaminonda observat Nepos, & gratia, & laude digna ducerentur. Hinc alterum discrimen necessario obortum est, ut in Graecia saltationi studerent pueri honesto, nobilique genere nati, contra vero Romae faex civitatis ad illam se applicaret. Splendidiora proinde, longeque ampliora fuerant, quae Graecis saltatoribus praestituebantur praemia, & ornamenta. Et ut praeteream sacros tripodes, viridesque coronas, palmas, armillas, vasa aenea, phialas argenteas, clypeos, vestes mollicinas, quas, qui saltu vicissent, juxta ac ceteri Athletae, ab Helladonicis accipiebant; parumne dignitatis habebant *Statuae*, Agonothetarum sententia saltatoribus nonnumquam decretae? Nam si ad proletandam, perpetuoque conservandam palaestricarum victoriarum memoriam, simulacra posita fuisse legimus in honorem Aristonici *Sphaeristae*[2], Ladae *Cursoris*, Clitomachi *Pugilis*, Lyronis *Luctatoris*[3], Rexibii, & Opuntii *Pancratiastae*[4]; ecquis unquam credat, hoc insigni honestamento saltatores caruisse? An non a Plinio accepimus,

D 2

1 Lucianus loc. cit. Idem sensisse Pythagoram multis evincit Bruckerus Hist. Phil. Par. I. lib. I. cap. x.


2 Athen. lib. I.

3 V. Anthologiae lib. I v.

4 Pausanias in Eliacis.

mus, primam ſtatuarum decernendarum cauſſam fuiſſe ſacrorum certaminum victoriam [1]? Quibus in ludis quum omnium primi athleticae virtutis ſpecimen darent ſaltatores, num putabimus fuiſſe illis denegatum, quod inſequentibus Palaeſtritis concedebatur? Nulli ſane fuerant Olympionicis conſtituti honores, (ſi vera ſcripſit Libanius in oratione ὑπὲρ τῶν ὀρχηστῶν contra Ariſtidem) [2], qui & ſaltatoribus non deferrentur.

Quandoquidem vero id genus ſigna a ſtatuariis non pro libito, ſed accurata quadam, conſtantique naturae imitatione efformarentur, ut corporis habitum, vultus lineamenta, ſtaturam, geſtuſque referrent, vereque eſſent εἰκόνες ἰσομεγέθεις [3], credibile eſt, aenei noſtri ſimulacri artificem ſimilitudinem duxiſſe ex majori aliquo ſigno, quo jam expreſſa affabre fuerant Cubiſtae figura, proceritas, habilitas, atque illa ſaltatio oculis objecta, in qua ceteros ſcientia, & uſu antecellens victor evaſerat; graecam enim concinnitatem, Graecique Athletae effigiem nitidiſsimum opificium oſtentare mihi videtur.



§. IX.

1 Lib. xxxiv. iv.
2 Opp. tom. ii. Orat. xix. pro ſaltatoribus.
3 Lucian. de imaginibus.

§. IX.

Graecos Pancratiastas in ludo subligacula quandoque abjecisse, ex Thucydide, & Dionysio Halicarnasseo docetur. Sed exinde minime evinci Latinum saltatorem nostro sigillo repraesentari. Consuetudo Graecorum non ab Acantho, sed ab Archontis Hippomedis decreto probabilius petenda. Homerici Athletae constanter succincti. Etiam post ea tempora mos retentus. Aeschines invectam in gymnasium nuditatem Timarcho exprobrat. De graeco nostri Cubistae galericulo adnotatio. Commentarioli conclusio.

At erunt fortasse homines, quibus hic ea statim injiciatur dubitatio, Graecis perperam me adscripsisse *Statuam*, quae inter Romanae vetustatis monumenta fuerat potius recensenda. Romanum enim fuisse, inquient, inter ludendum eas corporis partes, quae palam revelari naturalis honestas vetat, panno amicire; e contrario Graecos pudori hac in re omnino pepercisse, abiectaque zona lumbari, gymnasium nudos fuisse ingressos. Ac ne multa importune huc conferam, Lacedaemoniis id culpae datur a Thucydide, quod primi subligacula in ludo deposuerint: ἐγυμνώθησάν τε πρῶτοι καὶ ἐς τὸ φανερὸν ἀποδύντες λίπα μετὰ τὸ γυμνάζεσθαι ἠλείψαντο. τὸ δὲ πάλαι καὶ ἐν τῷ ὀλυμπιακῷ ἀγῶνι διαζώματα ἔχοντες περὶ αἰδοῖα οἱ ἀθληταὶ ἠγωνίζοντο. *Iidem primi corpora certaturi nudaverunt, propalam se exuentes, oleoque unxerunt: quum olim etiam in Olympiaco certamine athletae subligacula circa verenda haberent* [1]. A Lacedaemoniis ad ceteros Graecos pessimum

D 3 morem

1 De Bello Pelopon. lib. 1.

morem se citissime fudisse, ut Augusti aetate femoralium usus inter gentis illius Athletas omnino obsoleverit, apertius tradit Dionysius Halicarnasseus his verbis: μεθ' ἃς οἱ τῶν ἀθλημάτων ἀγωνισταὶ, τῶν δὲ κούφων καὶ τῶν βαρέων τὸ μὲν ἄλλο σῶμα. γυμνοὶ τὸ δὲ περὶ τὴν αἰδῶ καλυπτόμενοι τοῦτο καὶ εἰς ἐμὲ τὸ ἔθος ἐν Ῥώμῃ διέμενεν, ὡς ἐξ ἀρχῆς ἐγένετο παρ' Ἕλλησιν· ἐν δὲ τῇ Ἑλλάδι καταλέλυται Λακεδαιμονίων αὐτὸ καταλυσάντων. *Post quos* (bigarios, & quadrigarios) *athletae graviorum, leviorumque certaminum nudi ceteras, pudenda tantum tecti subligaribus campestribus: qui mos Romae mansit ad mea usque tempora, sicuti olim fuit in Graecia, ubi nunc antiquitatus est, orto a Lacedaemoniis* [1] *principio.* Argumentum specie quidem validissimum, sed re ipsa infirmum. Nam primo quaeram, eccur Saltatoris statua, qua artifex ad hujusce aeraei sigilli deformationem tamquam exemplari usus est, non potuerit Thucydide, Dionysioque esse antiquior? Age insuper, quae nam caussa fecit, ut subligacula apud Graecos Agonistas in desuetudinem venirent? Profecto non unius Acanthi Lacedaemonii exemplum: aliunde petenda novi moris origo, atque progressio; ex eo nimirum, quod de Orsippo Megarensi scripsere Pausanias, Eusthasius, atque Isidorus [2]. Huic agilissimo cursori Olympiade XIV. coxendicum tegmina maximo impedimento in Stadio fuisse perhibetur. Sive illa cursoris genua pressius constringerent, sive inter pedes agitatione ipsa delapsa, implicatum retinerent, ac retardarent, certe Orsippum hac una de caussa palma excidisse omnium consensione credebatur: quare Hippomenis Archontis sententia provisum,

1 Antiquit. Roman. lib. VII.
2 Pausan. Attic. prope finem. Eust. Iliad. ψ. Isid. origin. lib. XVIII. c. XVII.

visum, ut qui in stadium Olympicum certatum veniret, femoralia, subligaculaque abjiceret. At quid, si illa ita laxe compacta, opportune aptata, & hac illac intercisa, ut saltationi, resupinationi, incurvationi nihil prorsus offecissent? In hunc plane modum composita videntur nostri Cubistae subligacula; quippe quae nullam in partem refluant, sed coxis concinne adhaereant, licet vi inversi motus secus contingere debuisset. Si ergo de incommodo, quod Athletis ex hoc modesto operimento quandoque obveniebat, provide cautum esse poterat, plane autumo, ingenuos, frugique adolescentes decori, honestatique hac ratione consuluisse, nec Orsippi casum, aut Hippomedis decretum omne pudoris studium palaestra exterminasse. Homerus sane, qui heroas nihil usquam indecorum agentes inducit, in ludis media corporis parte succinctos constantissime describit. Vt ex multis pauca referam, Iliados Ψ. de Ajace, & Vlysse colluctaturis in Patrocli funere sic loquitur:

Ζωσαμένω δ' ἄρα τώ γε βάτην ἐς μέσσον ἀγῶνα.
Succincti vero hi quidem prodibant in medium certamen.

Odysseae autem σ. acer Vlysses cum Ivo concertaturus, cunctis laudantibus:

Ζώσατο μὲν ῥάκεσιν περὶ μήδεα, φαῖνε δὲ μηροὺς
Καλούς τε, μεγάλους τε, φάνεν δὲ οἱ εὐρέες ὦμοι
Στήθεά τε, στιβαροί τε βραχίονες . . . . .
Praecinxit quidem pannis genitalia, enudans vero femora
Venusta, & magna, ostendens latos humeros,
Et pectus, validosque lacertos . . . .

Num

Num igitur inter Graecos Athletas nullum prorſus Homericorum modeſtiam ceterorum nuditati praetuliſſe dicemus? Num ad unum omnes nihil de pudore laboraſſe credendum erit? Sed quid ego plura conquiram, quum mihi uti liceat teſtimonio irrefragabili? Eſt is Athenienſis orator, Alcidamantis diſcipulus Aeſchines, Acantho, Orſippoque aetate poſterior, qui in oratione contra Timarchum, illud protervo homini exprobrat, quod quum omnes pudicitiae leges violaſſet, atque Athenienſium adoleſcentum corde eradere ſategiſſet, eo petulantiae devenit, ut, omni operimento detracto, palaeſtricam exercuerit: *οὑτοσὶ δ' οὐ πάλαι, ἀλλὰ πρώην ποτὲ ῥίψας θοἰμάτιον, γυμνὸς ἐπαγκρατίαζεν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ; ipſe autem non olim ſed nuper, abjecta veſte, nudus toto corpore pugilem agebat in populi frequentia.*

Hoc igitur fixum, ratumque maneat, Graecos Pancratiaſtas, qui eſſent animo paullo verecundo, virilitatem ſubligaculis, cingulis, faſciis amicire conſueviſſe, ideoque aeneum MVSEI CONTVCCIANI ſimulacrum a me Graeco Cubiſtae non immerito adjudicari. Tandem Graecum Athletam hocce ſigillo repraeſentari, niſi quid me fallit, indicio eſt calantica, ſeu pileolus ex lana coactili, retinaculis utrinque conſtrictus; nam ſi proprium fuerat Graecorum ſaltatorum, comam alere, promiſſiſque delectari capillis, quemadmodum Libanius dixit in oratione *pro Saltatoribus*, jam illud erat conſequens, ut inter cernuandum galericulo illos conſtringerent, ac continerent, ne in frontem reflui viſum obnubilarent. Id reliquis Palaeſtritis uſitatum fuiſſe legimus, qui bene aptatam capiti galeam loro, aut taenia ſub mento colligata (quam Homerus Iliados

Iliados γ. ὀχία vocat) detinebant , eo prorſus pacto, quo noſtro in ſchemate adamuſsim expreſſum viſitur.

Haec ſunt, COMES SPECTATISSIME, quae quamvis putarem, non melius ſcire me, quam te, attamen obſervantiae noſtrae conſentaneum arbitratus ſum colligere in unum locum, & non perſcripta modo, ſed typis excuſa ad te mittere. Nam quoniam de praeclariſsimo ATHLETAE κυβιστῆρος ſigillo illud a me exquiſieras, quod tu ingenio, doctrinaque tua facile conſequi poteras, duplicem mihimet legem dixi, ut quae in re diſperſa fuerant, ratione, & diſtributione ſub uno aſpectu ponerem, tum ad cetera privata officia publicum hoc mei erga te cultus adjicerem teſtimonium, ne quid feciſſe reliquum viderer, quod me tibi devincire in perpetuum poſset. Hoc ſi a te impetraro, ut noſtrum conſilium acceptum habeas, nutuque tuo confirmes, plurimum ſemper amiciſsimo, doctiſsimoque BARTHELEMY me debere profitebor, non tam quod ex illius conſuetudine numquam, niſi eruditior diſceſſerim, quam quod in tui gratiam, illo auctore, devenerim. Quamobrem illud unum certiſsimum habeto, me de ſummo ingenio, de ſtudiis tuis optimis, deque ampliſsima dignitate tua ita judicare, ut quae pertinere ad te intellexero, ſtudioſiſſime omnia, diligentiſſimeque ſim curaturus. VALE.

ROMAE Prid. Id. Sextiles cIↃIↃccLVI.



IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Pal. Apostolici.

F.M. de Rubeis Patriarcha Const. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Elena Ord. Præd. Reverendiss. P. Mag. Sacr. Pal. Apost. Soc.